

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1077

Auteur(s) : Guillaume de Semilly, Bayeux (doyen chapitre cathédral)

Bénéficiaire(s) : Jean le Roux, Bayeux (chanoine)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1224, septembre

Action juridique : notification

Langue du texte : latin

Analyse

Le doyen Guillaume IV de Semilly fait savoir que Jean Le Roux a échangé avec Guillaume Naion une partie d'une maison en pierre, dépendante du chapitre, pour la terre que Guillaume Naion tenait de Pierre de Juvigny, et sur laquelle Jean Le Roux a désormais tous droits d'aliénation.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesie Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCLXXXVI, t. 2, p. 6-7.

Texte établi d'après a

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Willelmus, decanus, et capitulum Baiocense, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod Johannes Ruffus, concanonicus noster, confessus est in præsentia nostra se didisse (sic) Willelmo Naion quandam partem domus suæ lapideæ pro excambio tocius terræ quam ipse Willelmus et antecessores sui tenuerunt de feodo dominæ Haisiæ de Insula, juxta domum prædicti Johannis et retro, sicut in cyrografo inter eos confecto plenius continetur, qui videlicet talis est : Sciendum est quod Johannes Rufus, canonicus Baiocensis, fecit excambium Willelmo Naion pro tota terra quam idem Willelmus et antecessores sui tenuerunt de domina Haisia de Insula et hæredibus suis apud Baiocas : quæ terra est juxta et retro domum prædicti Johannis in vico quæ (sic) est inter ecclesiam Baiocensem et castellum. Ita videlicet quod prædictus Johannes dedit et concessit eidem Willelmo, in domo sua lapidea, quæ est de tenemento capituli Baiocensis, pro excambio prædictæ terræ, quandam partem illius domus tenendam ipsi Willelmo et hæredibus suis de prædicto Johanne et hæredibus suis, reddendo inde annuatim in Natali decem et octo denarios vel æquivalentis monetæ pro omni servitio et reddito, sicut divisæ in eadem domo positæ sunt. Johannes vero totam terram Willelmi prænominatam tenebit liberam et quietam de Petro de Juveigneio et hæredibus suis sibi, vel hæredibus suis, vel ille quem Johannes voluerit ei attornare per servitium eidem Petro antiquitus debitum, si Petro placuerit et prædicto Johanni ; et si alteri eorum non placuerit, Johannes tenebit de prædicto Willelmo vel ille quem Johannes voluerit per servitium Petro debitum. Et sciendum est quod prædictus Johannes potest prædictam terram vendere, muadare vel commutare cuicumque voluerit, vel de ea hæredem constituere, vel aliam suam voluntatem facere, salvo jure in omnibus prædicti Petri ; et sciendum est quod Willelmus prædictus quietavit Johannem de sex denariis Turonensibus quos ante ei reddiderat de quadam parte terræ quæ fuit prædicti Willelmi retro domum prædicti Johannis. Hanc autem conventionem et commutationem dictus Johannes debet garantizare dicto Willelmo et hæredibus suis, et ipse Willelmus Johanni et hæredibus suis contra omnes similiter. Hoc idem confessus est

Willelmus Naion coram nobis. Nos autem, ad majorem istius rei confirmationem, præsens scriptum sigilli nostri testimonio communivimus. Actum est hoc anno gratiæ millesimo ducentesimo vicesimo quarto, mense septembri.